



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Enchiridivm Chronologicvm Sacrae Et Prophanæ Historiæ

Salian, Jacques

Coloniæ Agrippinæ, 1638

Capvt XII. Quarta regula regenda Chronologiæ, contra quam peccat
periodus Iuliana.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64957)

C A P V T XII.

*Quarta regula regenda Chronologia,
contra quam peccat periodus
Iuliana.*

CONstituamus & quartam regulam, cum alijs rebus, tum regenda Chronologiae perutilem. De vitando labore superfluo, in temporibus dimetiendis: frustra enim magno & temporis, & laboris dispendio, longoque circuitu aliquò peruenire studeas, quò multo citius possis faciliusque peruenire. Et est quidem hoc peccatum contra tertiam quoque regulam, de qua diximus, propter ipsius amplitudinem, sed distinctius hic de inutilitate vitanda, propter Iulianam periodum, dicendum putavi. Non enim leuis est controuersia inter Chronologos, de nuper inuenta periodo Iuliana, quam aliqui tanquam filiosam amplectantur suam, ne operam in eo studio dispositam perdidisse videantur: nec eam minus, quam illa aspreta cyclorum, Chronologiae necessariam putant. Videamus porro quid sit ista periodus, ne de re non satis cognita Andabatarum more digladiemur.

Eam

ad Chronologiam.

Eam patroni eius describunt, Or-
 bem annorum ex triplici genere cy-
 clorum contextum, Solis, Lunæ &
 Indictionis. Nam Solis & Lunæ circu-
 li, id est, 28. & 19. in se ducti conficiunt
 532. Quem numerum si per circulum
 Indictionis, id est, 15. multiplices, exi-
 stet numerus 7980. qui dicitur Iu-
 liana periodus; quoniam anni qui-
 bus conflatur, Iulianorum more,
 quibus vniuersa Europa, totusque or-
 bis Christianus vtitur, à Ianuario, iux-
 ta institutum Iulij Cæsaris, initium
 ducere intelliguntur.

28
19
252
28
532
15
2660
532
7980

Ad istum ergo annorum Orbem,
 propter eius amplitudinem Epochæ
 omnes ab Orbe condito aggregari
 possunt, atque adeo ille ipse annus
 orbis conditi, imo & inanes illæ Æ-
 gyptiorum dynastiæ, quas Eusebij
 chronicon memorat. Nec omnino
 poterit inueniri annus vllus re quapiã
 insignitus, qui sedem in ea Periodo in-
 uenire non possit. Nam semel decursa
 tota periodo, iterum repeti poterit, &
 recurri ad eius caput. Ne autem vagè
 fluctuet ista periodus, annus ei quis-
 piam certus, & omnium confessione
 receptus, designandus est; qualis erit
 vulgaris æræ siue inchoantis, siue hoc
 ipso anno quem agimus 1636. termi-
 nantis.

Introductio

nantis: quibus si certum aliquem pe-
riodi Iulianæ annum assignaueris, illi-
co quamuis Epocham quæras, ad eam
facile ratiocinando peruenies, quan-
tumque sit interuallum inter annum
illum, æramque Christianam, depre-
hendes. Hæc fere sunt huius periodi
mysteria, quæ eius amici proferunt;
quæ si vix minimi momenti instar
obtinent, eam sane periodum sine
contumelia dimittamus, ac facessere
iubeamus.

CAPVT XIII.

Examen periodi Iulianæ.

QVoniam vero hanc nos periodum
tanquam superfluum, parumque
vilem non probamus, videamus
quid in eius laude ponant, qui contra
sentiunt. Negant annos duos in to-
ta Iuliana periodo reperiri, qui ijs-
dem tribus cyclis Solis, Lunæ, &
Indictionis notentur, nisi post il-
lam totam plane decursam: nam
tum demum ad illius caput recur-
rendum esse. Et ita videlicet nullam
periodus hæc inuehet confusionem.
At in hac ipsa re mundana Epochæ,
quæ